

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pulvillos Et Pepla Prophetissarum

**Schmidt, Johann Andreas
Trumph, Heinrich Wilhelm**

[S.l.], 1713

VD18 11649178

§. 6.

[urn:nbn:de:bsz:31-130600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130600)

li, ne capita vel cubiti doleant aut lassentur, nihilominus utrumque quoque dici potest de dormituris, ex eadem ratione. Favent huic explicationi vocum hebraicarum, per pulvillos & cervicalia, cum versione vulgata Hieronymus & Symmachus, apud Theodoretum, qui habet *ὑπαγκώνια* & *ὑπαυχέτια*, quorum illa sunt cubitalia, quae cubitis supponuntur, haec vero cervicalia, quae cervici supponuntur.

§. 6. Hanc sententiam prae aliis defendendam exornandamque sibi sumsit Jacobus Boulduc Parisinus, ordinis Minoritarum Capucinorum praedicator, in ecclesia ante legem lib. 3. cap. 13. & 14. putans, per illos pulvillos & cervicalia intelligi certos lectos propheticos, super quibus prophetissae decumbentes falsa propheta-
 bant. Materiam horum lectorum constituit frondes & ramos, atque eum in finem multa aliunde conquirat, ut mentem suam illustret. Ipsum nomen latinum *lecti* dici vult a lectis herbis, frondibus & stramentis, ex quibus olim confici solebant; & graecum *εὐβάδιον*, esse cubile ex herba sive frondibus sultum, sic dictum a stibadibus herbis ad discumbendum idoneis: nisi forte alludat ad vocem hebraeam *מִשְׁבַּת*, quae illi significat clarhra ex ramusculis facta, super qua prisci decubuissent. Latine etiam a tortis herbis *torum* appellari pergit, ut sciamus apud omnes gentes lectos primum esse factos ex frondibus & ramusculis arborum: imo nec sacra cubilia, qualia fuerunt cortinae seu tripodes Apollinis, ex alia primo fuisse materia. Teste enim Ammiano Marcellino lib. 29. cortina aurea oraculi Dodonaei erat *mensula instructa ad cortinae similitudinem de laureis virgulis*. Et Diodorus Siculus lib. 16. ait: *Delphinum oraculum primum conditum esse lauri ramis ex Thessalia advectis, in specus modum, deinde ex apibus, ex cera & aliis membranulis, unde Pterum dictum: Tertio aneum structum &c.* Et hanc lectorum materiam etiam respi-

respicere arbitratur vim verbi תפר, quod proprie intertexere significat, ut patet ex eo, quod per illud primi parentes dicuntur *consuisse*, id est, intertexuisse *folia ficus* (cum consui non possint) & *fecisse sibi perizomata*. Ex qua significatione sequitur, mulierum illarum opus non telæ vel stragulorum futuram fuisse, sed ramusculorum concinnationem, qualia Philo lib. de vita contemplativa scribit fuisse Therapeutarum (quos quoque prophetarum genus & eorum mulieres Therapeutides prophetides extitisse vult) lectisternia, nempe *tegetes rudese vili contextas materia, e papyro indigena; sic buemi aggestas, ut eminendo fulcirent cubitos*: qualia etiam Rex Josias 2. Reg. 23. v. 7. e templo ejecit, quando *destruxit adiculas effeminatorum, quæ erant in domo domini: pro quibus mulieres segebant quasi domunculas luci*, id est ex ramusculis arborum luci.

§. 7 Figuram istorum lectorum quod concernit, eam talem fuisse contendit, quæ habuerit duo clathra, ita ut propheta super clathrum seu cancellum decubuerit, tanquam super culcitram aut stoream, ut simul aliud habuerit super se pro hyperstromate, quod gallice dicitur *ciel du lect*, cælum lecti. Eum in finem diversis capitibus prolixè considerat verba Jacobi Gen. 49. *filium suum dicentis accubantem inter clathra duo*: Deboræ Jud. 5. 15. *seq. ut quid accubisti inter clathra duo ad audiendum sibilum gregum?* & Davidis Ps. 68. 14. *Si dormivissetis inter clathra duo*; atque circa hæc ostendit vocem hebræam שפתים vel cognatam ejus שפתים significare cancellos, & proprie clathra ex ramis seu virgulis arborum texta, Sicut apud Ezechiel. cap. 40. 43. cancellos ferreos seu craticulas, super quas carnes excoctæ ac frustratim incisæ ad tempus reponebantur. Rationes autem cur hoc nomen sit dualis numeri, has dat, quia virgæ ligneæ, aut ferreæ & ramusculi, ex quibus fiunt clathra seu cancelli, reduplicati sunt,